

PROGRAMMA**DE**

**VITIO TEMERARII DE ALIIS IVDICII
IIS QVI LITTERIS ADDICTI SVNT
ADMODVM FAMILIARI**

QVO

**AD ORATIONES QVARVM ALTERA
PERVERSVM DE ALIIS IVDICIVM
DISSVADEBIT**

ALTERA

**VT QVISQUE IPSE SVI IVDEX SIT
SVADEBIT**

BENIGNE AVDIENDAS

OMNES LITTERARVM FAVTORES

AC PATRONOS

EA QVA DECET RATIONE

INVITAT

M. IO. GEORG. Schulze

SCH. CATHEDR. RECTOR.

N V M B V R G I ,

Typis BALTHASARIS BOSSOEGELII, Privil. Typogr.

AK

41

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-696831-p0003-6

DFG



Vamquam nullum datur vitium, quod seruator optimus pariter & apostoli hominibus seuerius interdixerunt, quam temerarium de aliis iudicium; illud tamen adeo infedit inueterauitque in eorum animis, vt euelli inde elidique nulla ratione posse videatur. Huic autem vitio vincendos se obstringendosque in primis tradunt illi, qui, relictis aliis vitae generibus, ad studia litterarum colenda animum applicuerunt. Non loquar iam de sacri ordinis viris, quorum multi id negotii sibi datum esse putant, vt de aliorum dictis scriptisque libere iudicent, an cum amissi diuinioris doctrinae conueniant, nec ne? Peius vero faciunt illi, qui aliorum verba captant, &c, si quid minus latine dictum videtur, carpunt statim & acerce reprendunt: quasi theologi magis de verborum, quam doctrinae puritate debeat esse solliciti. Sic fuit non nemo, qui verbum illud *collimare*, summo Ienensium theologi, BVDDEO familiare, sugillaret: dignus propterea, qui falsissime refutaretur ab eo, qui viri summi causam non fortius, quam felicius agendam, inse fuisse sperat. Neque mentionem faciam philosophorum, quorum multi vt olim, sic nostra aetate tantum sibi tribuunt, vt, sine populi suffragiis, in aliorum placita censoriam sibi arrogent potestatem. Quis enim adeo est historiae ignarus philosophicae, qui nesciat, Epicurum, quamquam ipse putidos fuerit errores, statuens inter alia, solem lunamque non esse maiores, quam videantur, illumque accendi mane semper, vesperi oceania quis exstingui, Aristotelem tamen, teste Cicerone, vexauisse, Phaedoni Socratico turpisime maledixisse, Metrodori, sodalis sui, fratrem Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus concidisse, inque Democritum ipsum, quem secutus est, fuisse ingratum. Epicuri insitens vestigis Zeno Sidonius, vt idem Romanae eloquentiae parens commemorat, non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, certosque figebat maledictis; sed Socratem ipsum, parentem philosophiae, latino verbo vtens, scurraram Atticum fuisse dicebat: Chrysippum nunquam nisi Chesippum vocabat. Neque singuli modo hue pertinent philosophi veteres, sed totus illegrex, qui Eristicam profitebatur philosophiam, siue ab Euclide Megarense, siue Zenone Eleate traxerit originem. Sibi enim persuadebat, se tum demum philosophorum nomen meriturum, si cum quoquis contentionis ferram reciprocare posset. Quantas turbas nostra aetate pruritus philosophorum, aliorum placita euentendi, dederit, notius est, quam vi pluribus exponi debeat: cum constet, parum saepe abfuisse, quin res a verbis inter dissidentes ad verbera perue-

ueniret. Nos potius eos contemplémur, qui, cum videri velint
eas excolere litteras, quae ad humanitatem erudiunt, ita se gerunt,
vt omnem exuisse humanitatem videantur. Laurentius profecto:
Valla neminem latine aut loquentem aut sribentem sine censura
dimittebat, id quod occasionem dedit cauillatoribus dicendi:
Mortuo Valla, Plutonem non audere latine loqui, veritum, ne sua
latinitas a censore illo inquisitissimo reprehenderetur. Gaspar vero
Scioppius propterea canis grammaticus merito dictus est, quia nec
lacesitus obuios quosque, nulla habita ratione loci ac ordinis eo-
rum, turpisime adlatrauit. Non dicam, quomodo Iosephum
Scaligerum, edito suo Hypobolimaeo, traduxerit; nec commemo-
rabo, quam indignis modis tractauerit Casaubonum, vocans eum
molossum, canem regium, grammaticum regulum; nec referam,
quam iniurius fuerit in Mornaeum, quem homuncionem vocabat,
cui nates adhuc essent praescindendi: in Famianum profecto Stra-
dam, rerum Belgicarum scriptorem, omne maledicentiae suae vi-
rus euomuit in libro, quem *infamiam Famiani* inscriptis. Nec
praetereundus hoc loco est, Andreas Borrichius, qui altercationi-
bus delectatus, controuerrias Olaia inter & Cellarium, cum vide-
rentur sepulta, reuocauit, Cellariumque inquisitissime tractauit, ob-
iiciendo illi eiusmodi crimina, a quibus vir humanissimus penitus
abhorrebat. Quam humane autem Cellarius hanc criminacionem
a se auerterit, quam modeste aduersario responderit, nemini igno-
rum aut obscurum esse potest, qui libros viri, de latine lingua im-
mortaliter meriti, vel per transennam infexit. Sic enim putabat,
& sic inducebat animum, nihil indignius esse & ab humanitatis lege
alienius, quam de studiis litterarum atrociter pugnare, & quod be-
nevoli fieri amicisque oportebat, acerbæ contentioni committere.
Cuius exemplum si omnes illi, qui litteras profitentur humaniores,
sequerentur, neque alios iudicarent iniquius, neque ab aliis iudica-
ti iusto vehementius indignarentur, cauerentque sedulo, ne sua cul-
pa artes illae, quae ab humanitate nomen inuenierunt, in inuidiam
vocarentur, ceu pestilentissima rixarum contentionumque semina.
Quid? quod non defuerunt, qui eo vesaniae procederent, vt ipsos
auctores clasicos obeliscis configerent, praeposterumque saepe de
iis ferrent iudicium. Gaspar Scioppius hic primo nominandus est,
quia confirmare non erubuit, Ciceronem sui quandoque dissimilem
fuisse, & multis locis fecus locutum, quam latinae linguae ratio po-
stularet. Claudius deinde Verdierius hoc referendus, qui, vt Af-
fius Pollio Linium Patauinitatis, sic ipse Virgilium Mantuanitatis
postulauit; Horatium autem reprehendit ideo, quod versus he-
xametros vocibus monosyllabis clauderet, satyrasque suas minus
apto *sermonum* nomine appellauisset. Facilius tamen hi ferri pol-
funt, quam illi, qui in diuinioribus litteris barbarismos & soloeci-
mos quaerunt, aut quibus lyra Davidica praelyra Horatiana sordet

pro-

propterea, quoniam ex asidua profanorum scriptorum lectione corruptum retulerunt animum. An vero etiam quidam ephemeridum scriptores rei peruersi huins de aliis iudicii sint peragendi, prudentioribus harum rerum existimatoribus statuendum relinquo. Nemo certe negabit, eos perperam agere, qui iniusti tribunal concidunt, & quemuis ad illud vocant, quasi imperiosa ad illos delata esset dictatura; cum tamen acumen ingenii quoquis pistillo habent obtusius. Aequabilitas quidem iuris in republica valet litteraria; ita tamen, ne summorum virorum auctoritas a quo quis mediafino ac ciniflone labefactetur. Sed horum hominum audacia facile coerceri refrenarique posset, sidem illis continget, quod Perizonio, qui cum Huberi historiam ciuilem accuratius examinasset, & mille ferme errorum in ea adnotasset; Huberus, re ad iudicem delata, facile effecit, ut Perizonus non solum delicti veniam a se demissae petere iuberetur, sed & magna pecuniae summa multo caretur. Grauiori adhuc poena digni sunt illi, qui suos alios iudicandi libidini frena adeo laxant, vt ad satyras etiam scribendas prolabantur, virisque integris & singulari vitae sanctimonia praeditis, imo regibus adeo ipsis principibusque turpisissimam ignominiae notam libellis famosis adspergant. Ita grauiissime animaduertsum fuit in Nicolaum Francum, qui cum satyrico suo calamo pontificem etiam Romanum, Pium V, perfrinxisset, insu eius de infelici ligno suspensus, laqueo vitam miserrime finit. Quorum haec? ut intelligamus, nullum hominum genus tam deditum esse huic vito, ut temerarium de aliis ferat iudicium, quam litteris additorum. Mirum itaque videri debet nemini, quod

Io. Michaël Richter, *Numburgensis*, iussus est eius turpidinem pluribus persequi, eo quidem consilio, ut condiscipulorum animos ab eo deterreat. Et quoniam nemo in eam se consuetudinem adducet, vt aliorum actiones sub censuram vocet, qui ipse fui iudex quotidie diligenter scrutatur, ubi impegerit lapsusque sit: propterea iuuenis probus & industrius, Io. Martinus Häring, *Numburgensis*, de hoc argumento verba faciet prius, quam amico huic suo, a nobis discessionem facienti, commilitonum nomine, fausta quoque ac felicia appre cabitur. Cuius vota vt rata Deus esse iubeat, omnes huius scholae collegae ex animo optant, uno ore ac consensu affirmantes, Richterum hunc nostrum per omne illud tempus, quo scholam hanc frequentauit, non commisisse, vt pii diligentisque ac bene morati discipuli officium in se desiderari posset. Id quod omnes litterarum fautores ac patronos permouebit, vt hunc academie candidatum dignum iudicent, cuius orationi frequentes intersint. Quod vt faciant, suaque praesentia actu huic oratorio singulare concilient ornamentum, pro suo quemque loco ac ordine, demisse, officiose ac per amanter rogamus. P.P.

Numburgi XVII Cal. Mai. MDCCXXVIII.

78 M 496



TA-DO

K018


b7

**PROGRAMMA
DE
VITIO TEMERARII DE ALIIS IVDICII
IIS QVI LITTERIS ADDICTI SVNT
ADMODVM FAMILIARI**

*AD
PERV*

*VT C
OMN*

Typis



*VM ALTERA
IIS IVDICIVM
IT*

*I IVDEX SIT
ENDAS
I FAVTORES
OS
ATIONE*

*Schulke/
TOR.*

II, Privil. Typogr.